



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Metaphysicam, id est, Scientiam de Ente incorporeo, seu
transnaturali

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

XII. Decima, ac postrema ratio pro distinctione virtuali intrinseca in rebus
creatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95247](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95247)

sollicitus non sum. Quo enim cumque modo vocetur, eam dari probat, quantum sentio, quod superius adductum est de carentia, nam præter ens reale, & ens rationis admitti debet carentia, quæ neutrum eorum sit, siue ea sit media inter vtrumque, & ente reali minor, & rationis, siue fictio maior, propterea, quod, nec verè existat, sicut ens reale, nec solum dependenter ab intellectu fictione, sicut ens rationis; siue contra, quod alij quidam malunt, minor sit, non solum ente reali, verum etiam ente rationis, ac fictio, quæ videlicet est huius ex entibus veris, non verè, sed falsè combinatis inuicem constitutio. Vtro enim cumque modo se habeat, ea nec est ens reale, nec ens rationis fictitium. Pari ergo ratione concedenda est distinctio aliqua, quæ nec sit distinctio realis, nec distinctio solius rationis, siue considerationis, quidquid sit, an sit inter vtramque media, vel secus. Hæc autem quænam esse potest, nisi virtualis?

CAPVT XII.

Decima, ac postrema ratio pro distinctione virtuali intrinseca in rebus creatis.

166 **D**atur aliqua distinctio rationis: at hæc subistere nequit absque distinctione virtuali cum prædicatorum contradictione coniuncta: ergo, &c. Maior est perspicua. Minor suadetur: animal, verbi gratia, distinguitur ratione nostra à rationali, & rationale non distinguitur ratione à rationali, siue à seipso, hoc ipso, quod ratione distinguantur ambo: subsistere igitur nequit distinctio rationis sine distinctione virtuali, & contradictione prædicatorum eidem rei conuenientium. Confirmatur, & declaratur: cum eminus video hominem, eumque à bellua non discrimino, animal à rationali præscindo, sin minus ex parte obiecti, at saltem ex parte modi, vt vel aduersariis est in confesso: at non præscindo, nec possum rationale vllatenus à seipso: admissa igitur præcisione aliqua, & distinctione rationis, animali, & rationali conueniunt prædicata contradictoria, nimirum præscindi quodammodo à rationali, & non præscindi à rationali.

167 Huic argumento nostro respondent aliqui, animal distingui quidem ratione, & præscindi formaliter, siue ex parte modi, vt aiunt, à rationali, si animal, & rationale secundò intentionaliter sumantur; & alterum pro complexo sui, & cognitionis consue huic voci, *animal*, respondentis, alterum verò pro complexo sui, & cognitionis claræ huic voci rationale subiectæ supponant: quare animal, & rationale hoc modo, quo prædicata contradictoria suscipiunt, non virtualiter, sed realiter inadæquate distingui. Quod si ambo primò intentionaliter accipiuntur, & pro nulla cognitione supponant, hoc pacto ea nequiquam posse præscindi, aut ratione nostra distingui inuicem, Hæc tamen solutio distinctionem rationis, quam tueri nititur, de medio penitus tollit. Etenim solum recipit distinctionem rationis inter complexum cognitionis, & obiecti, quæ subsunt huic voci, *animal*, & complexum cognitionis, & obiecti, quæ huic voci, *rationale*, subiiciuntur. Atqui vtrumque complexum, non ratione, sed realiter inadæquate distinguuntur. Hæc ergo solutio omnem distinctionem rationis abolet.

168 Alij secundò oneri succumbunt, ac respondent, animal non distingui ratione à rationali, ab eoque non præscindi, & in vniuersum loquendo, nihil distingui, aut præscindi posse à seipso; solumque

duo complexa proximè memorata dici posse distincta, ac præcisa inuicem. Hæc solutio parum à superiori differit: quoad autem secundam eius partem iam iam impugnata manet: quoad verò priorem illius partem haud operosius, difficilè vltè refelli potest: etenim distinctionem, ac præcisionem formalem, siue rationis vnius rei à seipsa admittunt Thomistæ omnes cum B. Thoma, Scotistæ omnes cum Scoto, & extra vtramque scholam grauiores quique auctores: quin etiam P. Hurado disp. 6. metaphyl. sect. 4. subsect. 1. putat, Ochamum, Gabrielem, Gregorium, ac ceteros Nominales in eadem esse sententia, de quibus tamen solis dubitari posset, an sint ab ea alieni. In Dial. et. autem, cum sermo nobis fuit de præcisionibus obiectiuis, illam ratione probauimus ex professo.

169 Tertio alij respondent sermè eodem modo, & decent, animal distingui ratione à rationali per denominationem extrinsecam à distinctione vera, & reali inter vtriusque cognitionem: sicut album dicitur distinctum à dulci per denominationem à distinctione inter vtriusque formam, quamuis vtrumque absolute sit idem: quo in sensu dixit Aristoteles, *Sorrem diuersari, cum fuerit in domo, & cum fuerit in foro*. Ca. tertium hæc solutio recurrit cum prima, & secunda: haud enim aliud est animal distingui à rationali per denominationem extrinsecam ab vtriusque cognitione inuicem realiter distinctis, quam complexum ex animali, & sua cognitione distingui realiter à complexo rationalis, & cui obicitur, cognitionis, non secus, ac distingui album à dulci per denominationem à distinctione reali inter vtriusque formam, perinde est, atque complexum ex subiecto, & dulcedine distinctum esse à complexo subiecti, & candoris, tamen subiectum vtriusque secundum se sumptum sit profus vnum, & idem. Quamobrem hæc solutio eodem modo in pugni potest, ac debet, quo præcedentes. Omnium autem impugnatione confirmatur: sicut aliqua datur distinctio realis, quæ non sit rationis, ita similiter admitti debet aliqua distinctio rationis, quæ nullo modo sit realis: huiusmodi autem non est alia, nisi distinctio virtualis, siue rationis ratiocinata: nam distinctio rationis ratiocinantis, quæ iuxta aduersarios fit per diuersas cognitiones ad idem obiectum terminatas, quæve interuenit inter obiectum, prout vno modo cognitum, & idem non eodem, sed alio modo cognitum, est distinctio realis inadæquata, & non solius rationis, vt hucusque demonstratum.

170 Obicitur primò; circumscripta distinctione virtuali, siue rationis ratiocinata dari distinctionem aliquam rationis, quæ non sit realis vllatenus. Cum enim distinguitur ratiocinante vnum ab alio, animal rationale, v.g. ab homine, fingit multoties intellectus noster hanc distinctionem, quæ realis inadæquata est, atque inter cognitiones ipsas, vel centè obiecta, prout ei subsunt, se habere ex parte rerum ipsarum secundum se sumptarum: istiusmodi autem distinctio rationis fictitia inter animal rationale, & hominem prout secundum se, & seorsim à quavis cognitione sumuntur, non est realis, nec vera distinctio: nulla igitur necessitas, nulla utilitas distinctionis virtualis ad hoc, vt defendi possit distinctio rationis pura.

171 Contra tamen sic argumentet: quoniam fingitur animal rationale secundum se sumptum distingui ratione ratiocinante ab homine: & tamen non fingitur animal rationale distingui ita à seipso: & quamuis in eo priori, non tamen in hoc posteriori patitur intellectus se deludi: iam ergo homini, & animali rationali

rationali conueniunt predicata contradictoria nimiru distingui fictitie ad animalu rationali, & non distingui fictitie ab animalu rationali: aut ergo ea recidunt supra hominem secundum se sumptum, & animal rationale similiter vsurpatum; & ita necessum est inter vtrūque intercedere distinctione virtualem: aut recidunt supra hominē, & animal rationale, quatenus subsunt cognitioni fingēti, eiusque carentiæ, planē, vt ea distinctio rationis fictitia sit inter aggregatū hominis, & cognitionis fingentis ipsum distingui secundum se ab animalu rationali, & carentiæ cuiusuis cognitionis fingentis ipsum à se distingui, siue, quod perinde est, animalis, rationalis, & cognitionis non fingentis ipsum à se distingui, sed potius illud, sicut est in se cognoscentis; atque ita hæc distinctio rationis fictitia est realis inadæquata, vt pote quæ inter duo complexa, sin minus ex toto, at certe ex parte realiter diuersa interiacer: haud ergo assignatur distinctio aliqua, quæ sit solius rationis, ac proinde ad hoc opus est distinctione virtuali intrinseca.

172 Obiicies secundò, iuxta doctrinam nuper à nobis traditā fieri non posse, vt distinctio virtualis sit media inter realē, & solius rationis, siue rationis ratiocinantis, atque hæc maior, & illa longo minor interuallo. Nam distinctio rationis ratiocinantis per nos est distinctio realis inadæquata; distinctio autem virtualis neutiquam est realis: hæc ergo est minor illa, & non è conuerso. Quæ si ita habent, haud dubiè vnum ex porissimis argumentis, quibus supra vsi sumus ad probandam distinctionem virtualem, corruet: eam liquidem præcipue probauimus exemplo carentiæ, quæ quidem est media inter ens reale, & ens rationis fictitium, hæc maior, & illa minor. Quare, vt huic probationi vis sua constet, distinctionem etiam virtualem mediam esse oportet inter realem, & solius rationis, & altera maiorem, alteraque minorem. Cuius tamen contrarium toto hoc capite edocauimus.

173 Respondeo, distinctionem rationis ratiocinantis, de qua in præsentī, bifariam sumi posse, & solere: primò, respectu rei ipsius secundum se sumptæ, hominis v. g. & animalis rationalis: secundò, intuitu cognitionum vtriusque, siue duplicis complexi, quorum alterum rem, & vnam eius cognitionem, & alterum eandem rem, & aliam illius cognitionem cohibeat. Hoc præsupposito, distinctio rationis ratiocinantis contemplatione rei ipsius, quam non tam dissecat, quam dissecare, ac partem dicitur multò minor est, quam distinctio virtualis, adeoque hæc est media inter distinctionem realem, & rationis solius, & altera maior, alteraque minor suapte natura. Quòd autem distinctio rationis intuitu rei ipsius minor sit virtuali perspicuum est, nam distinctio rationis est extrinseca rei, distinctio autem virtualis ei intrinseca: hæc ei conuenit à parte rei, illa beneficio intellectus. Verum si sumatur distinctio rationis contemplatione rei, non secundum se sumptæ, sed prout subest cognitioni, & in concreto, siue complexo illius, hoc quidem pacto est maior, quam distinctio virtualis, eo nimirum, quod sit realis inadæquata. Cæterum hoc non obest argumento, quod à similitudine carentiæ desumptum: nam etiam carentia, cum qua distinctionem virtualem contendimus, aliquo sensu non est maior, sed potius minor ente rationis: hoc enim cognitionem ipsam fingentem, quæ est ens reale, & extrema per ipsam fictè composita, quorum itidem quodlibet est ens reale, essentialiter includit, vt inferius lib. 4. tract. 1. exponemus, vbi etiam patebit, quapropter complexum horum entium realium non sit simpliciter ens reale, sed ratio-

nis, ac fictitium: contra verò carentia nullum ens reale quidditatiuè inuoluit.

Sed esto, virtualis distinctio nullo modo, nulloque sensu sit media inter distinctionem realem, & rationis, siue considerationis solius, vel, quia qualitercumque sumpta est minor, quàm alterutra, vel, quia non distat æqualiter ab illis, vel alio quodam exemplo: quatenus tamen ea probari possit exemplo carentiæ, luculenter ostensum est ad finem capitis præcedentis.

C A P V T XIII.

Soluuntur argumenta aduersus distinctionem virtualem intrinsecam in rebus creatis.

175 **C**ontradictionem aliquam prædicatorum cum reali, & vera identitate coherere in rebus etiam creatis Scorsistæ, Thomistæ, atque, vt semel dicam, scholastici omnes ante O Kami tempora semper arbitrati sunt. Et quamuis ad huiusmodi concordiam tuendam eorum alij distinctione virtuali, alij verò distinctione formali vsi sint, de eo tamē, propter quod vtraque distinctio adinuenta est, & quod huius materiæ præcipua difficultas est, nunquam dubitarunt. Cæterum aduersus hanc sententiam adeo receptam Guilielmus OKamus discipulus Scoti primus classicum cecinit, eumque Gregorius, Gabriel, & reliqui Nominales denso agmine sequuti sunt: Item ex nostris Oniedus, Hurtadus, Arriaga, & recentiores communiter in manuscriptis. Quorum ego placitum fateor sensui nihil, nisi, quod tractat, vt manu percipienti, & quod sensum consequitur, iudicio magis consonum esse. Hoc etiam nomine fateor nostram sententiam difficilem esse, quia nimirum intellectus crassæ, ac sensibili distinctioni reali, qualis est v. g. inter album, & nigrum diu assuetus vix aliam minorem agnoscit. Enimvero sicut fides supra rationem, ita ratio supra sensum erigenda est, vel quidem plura Philosophiæ dogmata explodenda erunt. Quid sensuum iudicio magis repugnans, quàm insensibile, quam inuisibile? & tamen, vt ait Plato in Theato, profani sunt, qui nihil aliud esse putant, quàm, quòd pugno tenere possunt, actiones verò, generationesque, & quiddid inuisibile in eorum, que sunt numero, nequaquam habent. Quid sensuum iudicio magis aduersum, quàm inter duas lineas tantum non contingas, alias tamen infinitas, ac se non tangentes interici posse? & tamen vera, & Aristotelica Philosophia id esse possibile persuadet, vt benè Augustinus expendit lib. 2. soliloq. cap. 20. hisce verbis: *an non hoc probamus (scilicet sensibus haud semper esse credendum) cum etiam minimum circulum imaginando animo describimus, & ab eo lineas ad centrum ducimus? Nam cum duas duxerimus, inter quas quasi acu vix pungi possit, alias iam in medio non possumus ipsa cogitatione imaginaria ducere, vt ad centrum sine vlla commixtione perueniant: cum clamat ratio innumera biles posse duci, nec se se in illis incredibilibus angustis, nisi centro posse contingere, ita, vt in omni earum interuallo scribi etiam circulus possit: Hoc cum illa phantasia implere non possit, magisque, quàm ipsi oculi deficiat, siquidem per ipsos est animo inscripta, manifestum est, & multum eam differre à veritate, & illam, dum hæc videtur, non videre* Hæc Augustinus. Quamuis ergo sensus, aut sensibile iudicium inter distinctionem realem, & virtualem non dilucider, & nusquam identitatem realem cum contradictione prædicatorum